



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quęstio 1. Cur deinceps de paßione hortatur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

fuit error fuit peccata celare, Hier. l. 4. ad Marcellam. Novatiani confessionem tollebant, penitentiam non imponebant. Theodor. l. 4. hæret. fab. Messaliani eos iniuriati sunt: Damascenus de hæresibus. Augustini expositione est Homil. 49. c. 3. Nemo sibi dicat, occulte agere, quod Deum ego, novit Deus qui mihi ignoscit, quia in corde agere. Ergo sine causa dictum est, quæ solueritis in terra, soluta erunt in celo. Ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesie Dei? Frustramus Evangelium Dei, frustramus verba Christi, promittimus nobis, quod ille negat.

VERSUS 20.

Tunc præcepit discipulis suis, ut nemini dicerent, quia ipse esset Iesus Christus.

QVÆSTIO I.

Cur præcepit ut nemini dicerent?

§. 1. Noluit dici ab illis se esse Christum, Messiam, nempe exposita divinitate, hæc enim id actum erat, ut Prophetam à Deo missum cognoscerent, illique cederent, quamvis passim etiam divinitatem illis demonstravit. Cur vero prohibuerit, id temporis, Apostolos hoc prædicare, causa est vel quia illi nondum idonei, vel quia auditores erant infirmiores. Ipse tamen Paulo, se Deum, Dei filium, Messiamque esse significavit. In grecis quibusdam exemplaribus est *ἰησους ὁ χριστος*, Iesus ille Christus, in aliis deest, ut etiam in latinis & Syriacis. Singularis causa quæ sit, certo proponi non potest.

§. 2. Videtur noluisse ingens ex morte sua scandalum consequi, si omnes eum Deum credidissent, Deum enim immortalem sciebant, homines sanctos mortales. Minus videtur id expediens fuisse, ut passim in vulgum id spargeretur, ne plures Deos illum dicere & Iudei & Gentiles existimarent. Ex quo Iudei ab illo penitus abhorrent, Ethnici in idololatria sua confirmarentur. Itaque sensum S. Trinitatis mysterium promulgandum fuit.

VERSUS 21.

Exinde cepit Iesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Ierusalem, & multa pati à Senioribus, & Scribis, & Principibus Sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere.

QVÆSTIO I.

Cur deinceps de passione hortatur?

§. 1. Ad hoc ex eo tempore, vel, ex tunc, ut nonnulli loquuntur, iam enim constituta fide de eius divinitate, facilius capaces erant eorum, quæ de resurrectione dicenda erant. Hierosolymis autem, loco sacrificiorum passurus erat, quia suo sanguine confirmaturus erat sanctificatos. Totius porro passionis mentionem iniicit, ut cum recordati fuerint omnia prædicta esse, minus offenderentur. Ita Ioan. 16. v. 1. Nec locutus sum vobis ne scandalizemini.

§. 2. Quod dicitur, oporteret eum ire Ierusalem, recte exposuit Syrus *חייב היה ללכת* quod futurum erat. Non tam significatur absoluta necessitas, sed quod futurum Deus decreverit, id fieri oportere dicitur, alius

modus redimendi genus humanum esse potuerat, sed hic aptissimus erat, Deoque placitus.

VERSUS 22. & 23.

Et assumens eum Petrus, cepit increpare illum dicens: absit à te, Domine, non erit tibi hoc. Qui conuersus dixit Petro. Vade post me Satana, scandalum es mihi: quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum.

QVÆSTIO I.

Rectene Petrus Christum increpet?

§. 1. Petrus magno erga Christum amore, & maiore amoris fiducia eum reprehendit, *καταλαβὼν* & seducit, à consilio patiendi eum deterrere conatus. *ἑπὶ τὴν ἀκρότητα* accipiendum est in leniorem partem, pro vehementi admonitione, Syrum verbum *למכאן* ad obviandum, maiorem vim habet. Sed tamen tota increpatio his verbis exponitur, *absit à te Domine*, *ἰησους σοι ἀπέχε*, propitius tibi Domine. Sic & Syrus *חם לב מרי* *cham lach mari*, propitius tibi Domine mi. Cum enim clementissimus in aliorum malis avertendis esset, sibi ipsi Petrus clementem esse voluit, credebatur enim Christo inuito nihil horum posse contingere. Latinus sensum reddit, sicut & illi qui vertunt: *Propitius esto tibi Domine*: atque idcirco quidam interpretantur *καταλαβὼν*, assumens quasi *καταλαβὼν* assumens solandi causa, miserans, ut Roman. 14. 1.

§. 2. Non est excusandus Petrus, quem Christus ire post se iubet, Satanam vocat, & sapere ait non quæ sunt Dei, sed quæ hominum. Nec id in aurem illi dixit, sed ut Marcus ait, conuersus & videns discipulos, comminatus est Petro. Hilarius quidem distinguit eo modo. Ut Petrus non vocetur Satanus, sic enim habet: *Vade post me*. Deinde subdit: *Satana non sapis?* &c. Idem tamen in Psal. 134. Petrum asserit appellatum esse Satanam. Mirum autem visum tam brevi intervallo dici *Satanam* & *Beatum*. Hieronymus ait nondum fuisse Ecclesiam super eum ædificatam. Vtiam olim Bezæ responderit, qui valde illo Petri titulo delectatur, Pontificique eum concedit. Quem admodum autem Petrum excusare non convenit, quem acculat Christus, non tamen gravius verba Christi sunt accipienda. *Vade post me*, inquit, *ἀπέχε* *abscede post me*, hoc est, abscede seruus meus es, non dux & auctor consilii, sed Satana, hoc est, aduersarius, *σατάν*, Satana, ita enim Syriace locutus est, aduersarius erat non malitia, sed imprudentia, non infestando sed amando. Errabat, quia quem Deum credebatur, moriturum non putabat, humana mente suadebat, divini mysterii ignarus.

§. 3. Obicit Lutherus lib. de potestate Papæ. Petrum Dominus vocat Satanam non sapientem quæ Dei sunt, non igitur Petro datæ claves, sed Ecclesie.

Respondeo. Hoc argumento everti Ecclesiæ gubernationem & Wiclefismum reduci. Etsi namque Christo Petrus aduersabatur, dissuadens passionem, non tamen ideo potestatem accepturus non erat, nam & Paulus Apostolica gratia donatus est, quamvis antea persecutor & blasphemus: ubi abundat delictum, peccatum abundat & gratia. Quam multa millia sunt improborum ministrorum, qui iurant legem Dei nullam privari.

Et

scr.